

C L B




1 5 8 3



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

E. 27



PRECATIONES
ELEGIACO
CARMINE CON-
SCRIPTAE

A
SAMVELE VVOLFIO
Silesio.



WITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO,
ANNO M. D. LXXVII

*Domicilio
Ludovico B.*



KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZU HALLE

IN INSIGNIA
VIRI NOBILIS
ALBERTI KINDLERI
A ZACKENSTAYN.



VLGET vt in clypeo cristis ruti-
lantibus ales,
Cunctaq; sollicita tempora vo-
ce notat :

Sic pia KINDLERI varias vigi-
lantia curas

Pro patrijs gaudet sustinuisse focis.
Publica priuatis præfert, est fraudis & expers
Omnis vt à Puerio fucus abesse solet.
Ac veluti ceruus multos consurgit in annos :
Illius in patriam sic quoq; viuet amor.
Tu pie Christe faue, crescant vt cornua Cerui.
Altaque cum Puerio nubila scandat Auis.

SAMVEL WOLFVS

A 2 EPK

EPIGRAMMA
EIVSDEM DE
EFFICACIA
PRECVM.



VNCTA preces penetrant supremi
nubila cœli,
Et minuunt magni fulmina magna
DEI.

Sunt aries quo fracta ruunt validissima
mundi

Robora, quo Cræsi debilitantur opes.
Sternitur his armis Pharaonis terribilis vis,
Fortis & his GEDEON corda superba necat.
Sunt tuba, quæ reprobæ Ierichuntis mœnia rupit,
Discernunt sanctos significantq; viros.
Indaq; ceu paruo turbatur bellua mure,
Trux, stupet & galli voce, tremitq;, leo:
Sic Leo tartareus fremit, & mirabile pectus
Concutitur, nostras cum bibit aure preces.
Quisquis es ô hominum, qui tristi mole grauaris,
Perfer, & ardenti pectore funde preces:
Non Deus auersam negat implorantibus aurem,
Experto credas, Omnia vota ferunt.

NOBI

NOBILI ET
AMPLISSIMO VI-
RO, DOMINO ALBER-
TO KINDLERO à Zackenstayn,
Cæsareæ Maiestatis in Marchionatu Lus-
satiæ inferioris Cancellario, domis-
no & patrono suo con-
lendo.

REDIT IAM DEI BE-
neficio, nobilis & præstantis-
sime vir, lætissimum tempus,
quo coæternus & unigenitus
Dei filius, secundum promissiones priscis
illis patribus factas, ex inuiolata Virgine
Maria, verus homo natus est, nulla ta-
men humani generis labe inquinatus, sed
puritate perfectissima præditus, & hoc
mirando duarum naturarum copulationis
modo, cælum tandem in has terras, & vt
Propheta loquitur, lucem in regionem
vmbre mortis secum aduexit. Cumque

A 3 lau-

laudabilis sit mos, à maioribus nostris ad
hæc vsq; tempora propagatus, vt sub ini-
tium noui anni liberi parentibus, clientes
patronis, & amici deniq; amicis, felix no-
ui anni auspiciu[m] precentur, suamque
pro conditione & facultatibus beneuolen-
tiam mittendis donis declarent: me quoq;
incredibilis quædam erga te obseruantia
& pietatis recordatio, in eam volunta-
tem & mentem adduxere, vt te, quem
plurimis de causis in oculis & ore fero,
scriptorum meorum genere salutarem, &
pro rerum mearum tenuitate, munusculo
ornarem.

Non enim cum parentibus solùm me-
is, qui iam sunt ἐν τῇ ἁλωγία, & cœlesti
animorum perfruuntur conspectu, maxi-
ma tibi multos annos intercessit familiaris
tas, sed istam, id quod Deo acceptum re-
fero, ad nos quoq; hæredes, tanquam pa-
trimonium amplissimum, propagandam,
tua

tua quæ est sapientia, æquum esse censet.
περί γὰρ τοῦ πάθος, ὡς περ τῆς ἕσας, ἔγωγε καὶ
τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Cum
que terrarum & temporum spacijs disiun-
cti simus, amorem tuum nobis literis, qui-
bus nescio an quicquam non modò huma-
nius, verùm etiam ornatius esse possit, se-
pissime probasti, & hac quidem ratione
amicitiæ vincula, quæ sine crebra litera-
rum missione facile in dubium veniunt, e-
tiam atq; etiã confirmas, qua de re vehe-
menter mihi gratulor, & cum hac nulla
omninò fortunæ bona confero. Vel nuper
quidem, cum tecum essem, quantis me of-
ficijs excepisti, quàm pleno hospitalitatis
beneficia modio in me contulisti, ut equi-
dem, iniurato mihi credas, benignitatis
tuæ præstantiam satis superq; demirari
non potuerim. Et iam sanè, dum in hac
celeberrima versor Academia, nescius
sum, an meus animus cantationibus qui-
busdam

busdam tibi sit addictus, ita sæpe ad te numero, tuorum sermonū desiderio, recurrit. In primis itaq; omnium laudandarum rerum creatori Deo, gratias ago quàm possum maximas, quòd te cum lectissima & nobilissima familia, elapso potissimum anno, in tantis periculis, inque tam varijs fortunæ tempestatibus, saluum & incolumem conseruauerit. Et hunc porrò ardentibus votis & gemitibus oro, vt te quoq; in posterum, cum omnibus quibus carissimus es, pro immēsa sua bonitate respiciat, diu florentem protegat, tua consilia gubernet ac moderetur, & varias itinerum ac negociorum difficultates, quæ Sacræ Cæsareæ Maiestatis causa quotidie à te suscipiuntur, molles & iucundas esse velit, id quod sine vlla dubitatione spontè facturum est, cum huius eximia clementia pijs conatibus & laboribus deesse nunquam soleat. Et siquidem iam dudum
per

perspexi, quàm sedulus sis in sacrarum li-
terarum scriptis euoluendis, quantoq̄ stu-
dio, vel naturali potius inclinatione poëse-
os suauitatem, (cum sine hac oratoria fa-
cultas infeliciter exerceatur) amplectā-
ris, & tanquam filiolum osculeris tuam,
Vndè sanè decus incomparabile affecutus
es, & iam quasi manibus immortalitatis
præmia, quibus sapientes nihil habent an-
tiquius, comprehensa tenes: rem me tibi
gratam facturum arbitratus sum, si ad te
preces aliquot, pio studio, elegiaco à me
carmine conscriptas, nec exiguas meæ in
te voluntatis testes, xenioli loco transmit-
terem. Etsi autem manifestum est, eas-
dem ardenti cordis gemitu fieri posse, cer-
torum tamen modorum, sine superstitione
conceptam quandam recitationem, multis
de causis, perutilem esse, quis, nisi sana
mente captus, dubitauit vnquam?

Nam vt peculiare motus, quos flam-

A 5 marum

marum instar in pectoribus nostris accendit, taceam, perspicuum profecto testimonium est, à profanis & impijs hominibus nos segregans, adeoq; ipsis diabolis ingentem terrorem incutiens.

Sicut enim immanes elephanti paruis terrentur & fugantur muribus, & seui leones ad gallorum cristas & cantus expauescunt: sic illi, qui salutem nostram dies noctesque avidissime sitiunt, nulla magis Gorgone obiecta, quam audita vera precatatione contremiscunt. Quapropter, nobilissime & ornatissime vir, tum pro ea, quæ olim inter te & parentes meos semper fuit benevolentia, tum pro mea in te obseruantia, reuerenter peto, des hoc etiam amori meo, & xenioli nostri tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo subleuare, seq; his interea floribus, donec ingenij mei fructus ad maturitatem perueniat, oblectare velit. Nam & nobis, non citharæ
rædi

cedi tantum & simulacra ex ebore facta:
Verum etiam, aulædi & è quercu quan-
doq; sculpta, arridere consueverunt. Hoc
si assequor, triumpho, & meos, si qui sunt,
conatus, non exiguo compensatos præmio
existimabo, tuumq; erga me animum (quid
enim prætereà pollicear?) pari animo com-
plecti semper & enixè studebo. Benè
vale, & quod sine molestia tua fiat, nobi-
lissimum & carissimum tuum generum,
dominum Andream à Blawen, I. V. D.
Marchionatus inferioris Lusatiæ Syndi-
cum, & non tam literarum elegantia quàm
poëtica laude vehementer ornatum, meis
verbis officiosè saluta. Vitebergæ Ca-
lend. Ianuarij, Anno recuperatæ salutis
M. D. LXXVII.

T. A.

addictiss.

Samuel Wolffius

Silesius.

FORMVLA

FORMVLA GRATIAS AGENDI DEO PRO
CREATIONE COELI
ET TERRÆ.



TE, Deus alme, colo, merit te laudibus orno
Mi Pater, ô cuncti fonsq; datorq; boni,
Quòd tua dextra poli stellata volumina fecit,
Et que conuexo cunq; sub axe vigent.
Fulgida lucifluus dat Phœbus iura diei,
Aurea nocturnis Cynthia fulget equis.
Sic soror & frater concordi pace gubernant
Condita, pace nihil dulcius esse potest.

Ignea

*Ignæ vis, summo sedem sibi fixit in axe,
Aëris hinc mira voluitur arte globus,
Sed moles fuso telluris in aëre pendet,
Partibus à cūctis hanc maris ambit aqua,
Quid referam ventos? qui fracta repagula
pontum*

*Exagitant, nostros concutiuntq; lares.
Imbriferas cogunt nubes, rumpuntq; coactas,
Cum niue, cū pluuijs fulmina dira mouent.
Eurus & indomitus cæli consurgit ab ortu,
Occidua Zephyrus gaudet amore plagæ.
Auster amat medijs flammâtia lumina Solis,
Arctoo Boreas perflat ab axe solum.
Quis non distincti tempus mirabitur anni?
Maxime, quàm bonitas est tua magna,
DEVS.*

*Ex vario textam Ver gestat flore coronam,
Letior. æstatis lassat arista caput.
Prodit et Autumnus pomis comitatus & uuis,
Tristis at hunc sequitur, frigora propter,
Hyems.*

*Ecce secant volucres stridentibus aëra pennis,
Et vario promunt gutture dulce melos.
Umbrifera reboant syluæ pecudum mugitu,
Mitis & in lato gramine ludit ouis.*

Saxa

*Saxa per et montes fertur genus omne ferarū,
 Multus & in liquidis piscis oberrat aquis.
 Omnia diuino sunt à te condita nutu,
 Hæc tua (mirandūm) seruat alitq; manus,
 Cunctaq; sunt homini, diuino tradita nutu,
 Astriferi quicquid clauditur axe poli. (gã,
 Ergo, supreme Deus, tibi letus carmina pan-
 Lucida dum voluet lucidus astra polus.*

G R A T I A R V M A -
 C T I O P R O C R E A T I -
 O N E H O M I N I S .



Quid

Quid tibi pro meritis, Deus o ter magne, repe
Principiū vitæ, certa salusq̄, meæ? (dam,
Tu, Pater, afflasti mihi diæ semina mentis,
Corporis hasq̄, vices, quæ tibi dona ferā?
Quam miro teneræ me vestis carnis amictu,
Dum rudis in matris viscere massa cubo,
Dumq̄, nouis cotylis dependeo, dumq̄, tenebris
Condor, inexhaustis pascis alisq̄, modis.
O bonitas miranda Dei, quis talia fando
Non stupeat? ratio num tenuisse potest?
Et iam cum fœtus disrūpere tentat in auras,
Me tua, care Pater, dextera sola fouet.
Tu me direptum mœsta genitricis ab aluo
Purpureo decoras lucis honore Deus.
Ex imis vellor teneris in gaudia lucis,
Ex calidis subeo frigora dura, locis.
O immortalis clementia summa Parentis,
Non brutū: sed sum corpore natus homo.
Membraq̄, nō mutilus, veris nec sensibus orbis,
Reddit et humanos lingua diserta sonos.
Quid? quod saluificam diuini fontis ad aram
Nomina viua tibi, mi Pater alme, dedi.
Meq̄, suo victrix Ecclesia gramine pascit,
Quam rigat aternis cœlitis imber aquis.
Hæc tua compago parui, Pater optime, mundi,
Est solidum sanctæ dexteritatis opus.
Corporis

*Corporis est nostri pars nulla, sit infima quāuis,
Munificum quæ non comprobet esse Deū.
Quid tibi pro meritis, Deus o ter magne re-
pendam?*

*Quis tua facta satis commemorare potest?
Ipse licet dignas nequeo persolvere grates:
Reddo tamē titubās quæ dare lingua potest,
Et gelidus curret calidos dū sanguis in artus,
Et memor, & præco muneris huius ero.*

MEDITATIO NATIVI- TATIS IESV CHRISTI.



O vene-

*O venerande puer puer o dulcissime IESU,
Gestio per cunas laudibus ire tuas.
Vnde sed ordo mihi surgat? quis verba canenti
Suggeret? equabo qui tua facta satis?
Si mihi sancta foret Iessei Musa Propheta,
Si mihi Mæoniam donet Apollo lyram:
Non tamen eloquerer rerum fastigia verbis:
Tanta negant humeri pondera ferre mei.
Tu Patris es soboles, vero de lumine lumen,
Omnia qui cæli lumina luce reple.
Tu Patris es VERBUM, per quod Pater omnia fecit, (nos.
Et quod erat, nondum staret ut Orbis ho-
Tu Patris es fulgor, Patris es cælestis imago,
Numen idem vobis gloria, robur, honor.
Tu regis astra Deus, tu tempora dirigis anni,
Tuq; cæs pluias, fulmina torta moues.
Sed tamen in Mundum, mundi rex atque
creator
Nasceris, ante diem qui genitricis eras.
Nasceris illesa sed virginitate parentis,
Passa nec est tactus ullius illa viri.
Nam sacer impleuit fœcundis spiritus aluum
Flatibus: o magni facta stupenda Dei.
Sol tegat obscura mæstam ferrugine frontem,
Inq; caput refugæ conglomerentur aque.
B Mortuus*

Mortuus amissas surgat rediuiuus in auras,
Aspiciant cæci, quo caruere, diem.
Aure bibant surdi voces, mutiq; loquantur,
Ille ferat lectum, qui prius aeger erat.
Omnia natali cedunt miracula: partem
Scrutari nostra quis ratione potest?
Sed que pompa fuit, rex inuictissime regum,
Casta sacrum reddit cum tua mater onus?
Regia marmoræis te forsan fulta columnis
Excipit? & Tyrio murice cuncta nitent?
Num cune gemmis, auroq; crepundia fulgēt?
Num tegit aureolos culcitra blanda pe-
des?
Nū matres astant? & sunt holoserica vestes?
Forsan odoriferi tempora veris erant?
Non ita: terribili concrescit frigore terra,
Nix cadit, & rigidum nox tenet atra
polum. (gnis,
Stat casa, stat laceris eadem vix pendula ti-
stramine tecta fuit, sordida tota firmo.
Hanc grauiiter quatiunt, pluuiæq;, Notusq;, ni-
Hæc itidē fumis undiq; picta scatet. (uesq;
Latam pro velis suspendit aranea telam,
Marmore pro pario canna palustris adest.
Te capit hæc, duras tibi dant præsepia cunas,
Et stipule (miserum) membra tenella te-
gunt, Felices

Felices stipula, felices deniq; culmi,
In quibus ipse Deus spectatus inopsq; cubat.
Stat pecus auritum, stat bos cunabula circū,
Atq; tibi nutant dicere; viue puer.
Sed siquidem nequeunt, tepidum flant ore va-
porem,

Horrida sic aliqua frigora parte leuant.
Quin etiā genitrix collo sibi demit amictus,
Et tibi nascenti stragula crassa facit.
Eheu qui terras vestit, pingitq; volucres,
Hic iacet, & vix quò frigora pellat, habet.
Omnia qui pascit, quæ maximus educat orbis,
Pascitur exigua (flebile) lactis ope.
Cui domus est cælum, cui sunt moderamina
Mundi

Tradita, concessum vix habet ille locum.
Scilicet ista placent tibi, sancte, cubilia, Chri-
Teq; graui nasci conditione iuuat. (ste,
Nempe duces tumidum quò discant ponere
factum,

Gaudia nec vitæ pernicioſa colant.
At tuus hic hominum dum non præcordia
partus (chorus.
Tangit, Olympiacus gaudet, onatque
Gaudet, & alludens sibi versicoloribus alis,
Nate puer, resonat carmina grata tibi.

Laus super astra Deo, sit pax & gratia terris,
Gaudia gestanti pectore voluat homo.
Hæc dum miratur Iordanis nobile flumen
Constitit, ac retrò protinus egit aquas,
Et celer Eoum Phæbus properavit ad ortum,
Cerneret, ô dulcis, quò tua membra, puer.
Lunaq; saltantes vix continet ipsa iugales,
Te genitum resonat dum polus esse Deū.
At non tartarèi gaudent oracula vatis,
Nam sacra querenti reddere verba ne-
gant: (auras:
Furua sed antra petunt, implentq; furoribus
Cur ades, & crucias nos, Deus, ante diem.
Mella ferunt rupes, dulcem paliurus oliuam,
Et cadit à sentis vertice rosa rosa,
Laticiaq; fremunt, curuātq; cacumina mōtes,
Sentit & aduentum mobilis vnda tuum.
Salve sancte puer, magnum Patris incremen-
Salve, virginèi nobile ventris onus. (tum,
Tu datus es nobis, tristes abigisq; tenebras:
Cepimus aduentu viuere, Christe, tuo.
Immanuel salve, tu nobis cælica reddis
Gaudia, commotum conciliasq; Patrem.
Vnicus & nobis nascendo restituis rem,
Iamq; iacent diræ spicula fracta stygis.

Ast

*Ast ego parue puer, quod te dimittis olympo,
O hominum, quo te digner honore, salus?
Terna tuis libo rubicundis basia labris,
Vota simulq, fero multiplicata fide. (nas:
Hec ne parua, precor, laudis munuscula sper-
Blanditias pueris qui facit, ille placet.*

PRECES AD PVE-
RVLVM IESVM, VT
NOVVS ANNVS SIT
felix & salutaris.



B 3

Cur

*CVr tuus, ô IESV, præ se fert gaudia vultus?
Porrigis extensas cur, puer, usq, manus?
Scilicet ad te quò veniat quicumq, laborat,
Annuis & certam non dubitatus opem.
Nunc igitur venio supplex tua numina cla-
mans,
Intima tu mentis suscipe vota mee.
En vetus effluxit, nouus & nûc incipit annus,
Fac, precor, incipiens letus ut annus eat.
Omnia regna crepant, furit execrabilis hostis,
Damnaq, portendunt sidera, terra, fretû.
Et trahit innumeras Ecclesia pressa ruinas,
Iam iam quassatum flectit ad ima caput.
Duriter hanc feriunt, Cyclopica monstra, ty-
ranni,
Hanc tumidi lacerant ambitione viri.
Protege, sancte puer, cælestis viscera Sponse,
Hereat in gremio mæsta Sarepta tuo.
Insidias Satane reprimas, da mitia verbi
Dona tui, rapidum discute Martis opus.
Ne fera barbaries, & ne Mahometica pestis
Ingruat, infringens probra nefanda tibi.
Quin potius cingat terras pietatis alumna,
Dulcia que blanda nomina Pacis habet.
Ne, queso, nostras pestis grassetur in oras,
Nec terat exanguis corpora dente fames.*

Annus m

Annū surgentem solita bonitate coronas,
Terraq; fecundis munera fundat agris,
Turgida cumq; pyro surgant certamina pomo,
Alter & alterius vincere tentet opes.
Sancta colat cælo terras Astræa relicto,
Deserat afflictos fraudq; nefasq; focos.
Respice discentes, roburq; docentibus adde,
Adde fidem, summi noticiamq; Patris.
Induperatorem foueas, sanctumq; senatum,
Subdita quò stabili corpora pace regant.
Omnia quò placide peragamus tempora vite,
Et celebrent nomen pectora nostra tuum.
Et licet elapso grauius te lesimus anno:
Esse tamen prosper, Christe puella, velis.
Concipit ingenuus faciles infantulus iras,
Sed cito vindictam deposuisse solet.
Tu bonus es, soboles melior nec venit in Orbẽ,
Ponere conceptas te decet ergo faces. (fer,
Nulla salus mundo: tua nos ad gaudia trans-
Membra tuis membris qui sociata sumus.
Annue nunc precibus: sic balbula lingua lo-
quelas
Non sonat, at nutus comprobet ista tuus.

GRATIARVM AC-
TIO AD DEVM PA-
TREM PRO BENEFICIO
nati & exhibiti Christi.



Magne Deus, nullo qui sine teneris & ortu,
Nostra tibi grates linguaq; mensq; so-
nat.

Nempe quòd interitum miserorum spontè
misertus,

Non sinus effigiem morte perire tuam.
Sed carum cæli mittis de culmine natum,
Induit hic nostrum debile carnis onus.

Hic

Hic est quem veteres exoptantēre parentes,
Verus homo matris sanguine, patre Deus.
Solutus hic fracta stygij ceruice Draconis,
Reddidit amissi munera clausa poli.
Nunc tuus extinctus furor est, tua flamma
Purpureo nati victa cruore tui. (resedit,
Ille suis humeris recipit, ceu triste piaculum,
Eua parens quicquid turpiter ausa fuit.
O amor, o ingens bonitas: quid gratius isto
Munere, quidue dari maius in orbe potest.
Ardua magnorum laudamus munera regum,
Tantane nos igitur spernere dona decet?
Dona, potest nemo qua metis prendere sensu.
Quae superant cunctas totius Orbis opes.
O pietas, o sine carens mellita voluntas,
Mi Pater, o quanta nos bonitate foves,
Credimus haec, est sed fidei scintillula nobis,
Fortior auxilio fiet at illa tuo.
Ac veluti Phœbus radijs illuminat orbem,
Sic Euangelij nos quoque luce regas.
Scilicet ut nato figamus basia Christo,
Floreat & nomen tempus in omne tuum.

B S GRA-

GRATES NUNC
OMNES &c.



*P*ectore reddamus grates Dominoq, Deoq,
Qui satus à stygijs nos reparavit aquis.
Nam decet, angelica quò nos cum gente ca-
namus:

Huic sit in excelsis gloria sola thronis.

MEDI.

MEDITATIO
 PASSIONIS DOMINI
 NOSTRI IESU
 CHRISTI.

*Gratias tibi ago
 et toto pectore*

*Omnis tua ges
 vite mee spes
 & salus.*

*Pro peccatis nostris
 factus es dupor,*

*Et effusus tuo
 sanguine
 Vita mihi
 restituitur*



VERA tibi fundo grate preconia mentis
 CHRISTE Deus, vite spesq; salus-
 que mee.

*Nam mactata cadis pro nostra victima culpa,
 Sicq; mihi fuso sanguine vita reedit.*

Nen

Non aliter quàm si Pelicanus pectora rodens
Sanguine viuificet pignora cara suo.
O dulcis I E S V, quot te tormenta fatigant,
Probraq; cū flagris, vulnera cumq; minis.
O dolor, ô lacerum corpus, miserabile corpus,
O crux, ô seue flebile Mortis onus.
O bonitatis amor, quo nos amplecteris omnes,
Niteris atq; tuo conciliare Patri.
Sanguineos stillas latices, monumenta doloris,
Ipsaq; consperso terra cruore rubet.
Te socij relinquunt in tanta pericula missum,
Agmine te multo fretus Apella capit.
Constrictus sanctos nodis crudelibus artus,
Duceris ad rapidos agna tenella lupos.
Iudicij infandi sub iniquo praside perfers
Plurima, supremo non toleranda Deo.
Risibus exciperis, toleras conuicia lingue,
Scommata te feriunt innumerabilia.
Os, roseumq; caput lassatur verbere multo,
Eximias fœdant impia sputa genas. (fers,
Christe, meum propter delictum vulnera per-
Tristia proq; meo crimine flagra subis.
Regia contextis ornaris tempora spinis,
Et lacerant corpus dira flagella tuum.
Heu quàm membra modis roxat innoxia mi-
Es vermi potius, non homini, similis. (ris:
Hinc

Hinc ipsam subijisse hostem miseratio visa est,
Cernite quando refert, cernite qualis ho-
mo.

Ad loca supplicij manibus post terga reuin-
tus

Duceris, arboream fersq; trahisq; crucem.
Tuq; pedes palmasq; sacras terebraris, & inter
Dependes fontes triste catharma viros.
Lancea diuisis penetrauit in intima costis, (it.
Plurimus hinc subito sanguis & unda flu-
Flumine quo tellus, quo pontus & astra lauan-
tur,

Quicquid & immensi continet Orbis opus.
Tanta molis erat Cœli reparare salutem,
Quam prius (heu facinus) perdidit Eva
parens.

~~Vtq; tuas grauius vexat sitis arida fauces,
Mista venenato pocula felle bibis.~~

Et sic multiplici plagarum tormine fractus,
Pro me soluisti debita lœtæ Patri. (re,
Quem non hæc moueant, finduntur saxa dolo-
Cordane sint rigidis asperiora iugis?

Terra tremat, rumpitq; sinus, redditq; sub au-
Effractis tumulis corpora multa virum. (ras
Ignea turbati tristantur & agmina cœli,
Et deflent positis, te, pie Christe, tubis.

Quin

Quin etiam Phœbus cœlo cum talia cernit,
Attonitos verso tramite flectit equos,
Et scelus exosus reprobo se subtrahit Orbi,
Atratisq; regens nubibus ora dolet.
Lunaq; dispersos rumpens in nocte capillos
Ingemit, & querulis planctibus astra replet.
Mæsta sonant arbusta: DEUS DEUS hic fuit
Omni geni sceleris purus & ille fuit. (ipse,
Hic recinens Echo plorabile duplicat hei hei,
Frondeb; hic languet graminibusq; coma.
Insuper & volucres lacrymât, lugubre sonan-
Nobile quas de te nomē habere ferunt. (tes
Et curuis tentant clauos euellere rostris,
Es quibus affixus, Christe benigne, cruci.
O lacer, ô suavis IESV, pro sanguine fuso
Mente tibi grates oreq; gratus ago;
Et tua mi IESV, rogo te per tormina mortis,
Participem tantæ me quoq; redde necis.
Respice me blandis oculis, quibus aspicias illum,
Mors subit ad dextram quem properata
tuam.
Oblinē tuq; meas vitiosas obline sordes,
Crescat ut in nostro corpore vera Fides.
Respice, Christe, meam vitam, fremit Orbis et
Orcus,
Tristia quò stabilis pectore fata feram.

Hoc

*Hoc te per rigido terebratas robore plantas,
Hoc te per lateris vulnera sancta precor.*

PRECATIO AD
CHRISTVM CRV-
CIFIXVM.



*DVlcis & ô clemens IESV, sanctissime IESV,
Hec tua cur oculis vulnera cerno meis.
Squallentes crines? concretam sanguine bar-
bam?*

Curq; tuum cingunt spinea ferta caput?

Ecquis

Ecquis fœdauit vultus, quæ causa, serenos?
Perfossam tristi cur hiat ense latus?
O lux Christi adum spes ô benefida piorum,
Me propter fontem vulnera tanta geris.
Christe, meis tibi delictis hæc stigmata pressi,
Vna salus hominum te mouet ista pati.
O grauis & magnus damnatae mortis amaror,
O colaphi, rhamni, tela, flagella, mine,
O amor immensus, maculis ego polluo vitam:
Te tamen innocuum noxia pœna trahit.
O non auditum, non vlllo tempore visum
Iudicium, iusto pœna luenda venit.
Pro reprobis moritur probus, & pro fontibus
insons,
Crimina nequit homo, plectitur ipse Deus.
Quod seruus peccat dominum persolvere oportet,
Autorem sceleris plectere iura iubent. (tet,
Quid tibi pro tanta, quæso, pietate rependam?
Sum miser & modica luce superstes homo.
At te, Christe Deus, votis ardentibus oro,
Tu mihi perpetuò dexter adesse velis.
Obuia deflexo mihi porrigis oscula collo:
Eia meis figas oscula blanda genis.
Mellea distento de corpore brachia pandis,
Complexu teneas me, foueasq; tuo.

Cor

Cor hiat, & vero (video benè) flagrat amore,
Mi Deus, ergo tuus me tibi iungat amor:
Sis & apud Patrem mediator, & abluè guttis
Sanguineis, nostri vulnera spurca mali.
Nam cocci superant longè (scis ipse) ruborem,
Illa, precor, fiant candidiora niue.
Omnis in effuso quò stet mea cura cruore
Perfice: tu vite solus es aura mea.

PRECATIO AD DE-
VM PATREM PRO RE-
MISSIONE PECCATORVM.



C

Sancte

S Anctē Parens rerū, vitiorū sorde sepultus,
Ante tuum venio, regia sceptrā, thronū,
Adducoq; tuum mecum (circumspice) natum,
Qui mihi presidio, qui mediator erit.
Tu me suscipias, foueat tua gratia fontem,
Contegat & vitæ facta nefanda mea.
Sum meritus, fateor, stygio cum principe
Mortem,
Et tua perpetuò quem grauis ira premat:
Sed quia presentis rogo te per nomen IESV;
Cogeris & felix & bonus esse mihi.
Nititur exhibiti mea spes in sanguine Chri-
sti,
Illius est omnis morte redemptus homo.
Ergo, benigne Deus, me suscipe, suscipe fontē,
A me ne faciem reijce, queso, tuam,
Plurima turricos superant mea crimina
montes,
Sanguinis at Christi guttula maior erit.
Cerne, precor, natum, traiecta q; pectora ferro,
Aspice circundet quod diadema caput.
Cerne redemptoris faciē, miserere redempti:
Agnus hic est mundi qui malefacta luit.
Contemplare manus, perpende pedesq; tumē-
tes;
Ille reo pro me vulnera tanta tulit.

ille

Ille meus rex est, meus est simul ille sacerdos,
Me regit, & pro me vota precesq; facit.
Ergo age, care Pater, vultus ostende paternos,
Nostra voraginibus crimina mitte maris.
Cura mihi fuerit concretam relinquere labem,
Congruat ad leges ut mea vita tuas.
Tum numen nomenq; tuum laudesq; sonabo,
Hec mihi dum vita flamma superstes erit.

PRECATIO AD
CHRISTVM PRO RE-
missione peccatorum.



RECTA quidem vidi, sed sum peiora secutus;
Christe Deus, vitæ certa medela mea.
Non despero tamen, spero dum pectore spiro,
Nam tua peccati gratia vincit onus.
Ipsa licet tremuli rumpantur viscera cordis,
Tu tamen arx fortis, tu mihi portus eris.
An tua conuersum repulit clementia quen-
quam?

Rerum, Christe, parens: an ego primus ero?
Tuq; profectò Deo nihil es mutatus ab illo,
Qui pius & clemens, qui bonus vsq; fuit.
Cedite vos tristes cura, tristesq; dolores,
Namq; mihi Christi vulnera sancta patèt.
In latus, hostili quod miles cuspide fregit
Me penitus condo, suauiter atq; cubo.
Inq; tuis vlnis viuam, vitamq; relinquam,
Euax, num poterit quis nocuisse mihi?
Namq; mea vitæ sum certior, atq; salutis,
Et scio, iam quo me cordis amore colas.



HYMNVS

H Y M N V S D E
G L O R I O S I S S I M A I E S V
C H R I S T I R E S V R R E
C T I O N E .



*A*lma dies oritur, leto sacrata Triumpho,
Horrida qua vincis tartara, Christe De-
us.

Victor & edomiti spolijs Acherontis onustus
Surgis, & ad caelos ampla trophaea refers.
Salve festa dies, letis exorta quadrigis,
Victor iò salve, maxime victor aue.

C 3

En tibi

En tibi iam plaudunt ridentia sidera cæli,
Sol exultantes proijcit ipse faces.
Ridet ager, rident gemmantia gramina cam-
pi,

Herbis luxuriat, floribus atq; solum.
Frondebis orba fuit brumali frigore sylva,
Sed nunc formatis stat recreata comis.
Iamq; susurrantes letantur murmure lymphæ,
Et renouata suo flumine prata rigant.
Fervescunt animum nemorosa per ania cantus,
Gaudet in immenso squamea turba mari.
Flant molles Zephyri: pecudes in gramine lu-
dunt,

Asperitas Euri, frigoris atque fugit.
O veneranda dies, qua gaudent omnia, salve,
Victor iò salve, maxime victor aue.
Tu moriens superas iterum te tollis in auras,
Ut Phœnix structis fertur in astra rogis.
Tu mihi restituis cælestis gaudia vitæ,
Est & iusticiæ nunc mihi parta quies.
Ac velut Ichneumon Crocodyli parvus in
ora

Inuolat, & rupto viscere victor abit:
Sic quoque conuulsis portis transcendis Auer-
num,

Atq; necas Mortem, tartareumq; Ducem.
Piscis

Piscis & ut triduum Ionas latitavit in aluo,
Quem tamen absorptum bellua saeva vo-
mit:

Sic ades, o vitæ ductor, rediuius ab Orco,
Tertia lux magnum triuit ut axe polum.
Producisq; patrum tecum pia pectora, manes,
Vincula quos Stygia continuere necis.
Salve, sancta dies, lux o sanctissima salve,
Pectore quam nemo sat celebrare potest.
Sola Dei soboles iusto te carmine laudat,
Tartara sunt cuius dilacerata manu.
Quiq; ducem nodis Satanam constrinxit a-
henis,

Indè sedet, frustra perpetuumq; fremit.
Sic nos Christiada rapti de faucibus Orci
Viuius, hac reparat filius ipse Dei.
Noxia nunc rapidis Mors est spoliata sagittis,
Est ubi nunc stimulus, Mors scelerata,
tuus?

Tartara fracta iacent, cadit & trux Rector
Auerni:

Est ubi nunc regnum, Cerbere dire, tuum?
Exere nunc vires, nunc cõprime Cerbere den-
I nunc & bellum disce mouere Deo. (tes?
Tu verò tu Christe lues, & fractor Auerni,
Dulcis imago Dei progeniesq; Patris:

Vince precor reliquos, quos tellus euomit ho-
stes, (nu.

Qui phlegethontæa sunt sata monstra ma-
Liquæ tuæ cruciant mæstissima pignora
Sponse,

Frangere tu verbo talia monstra potes.
Et velut eduxti patres de carcere Ditis:
Turciaco sanctos sic quoq; solue ingo.
Assere nos placidus, verbi tua munera serua,
Et pax per cunctas ambulet alma vias.
Mitia tranquilla mihi dona gaudia mentis,
Me foueat celsi spes animosa poli.

Tu discedenti misera de valle malorum
Assis, eia animam suscipe, Christe, meam.
Terribilisq; mihi cū Mors iam clausit ocellos,
Fac mea quò tumulto molliter ossa cubent.
Et cū per vastum resonabit buccina Mun-
dum:

Surgite iudicij surgite tempus adest,
Christus adest. picto residēs super Iridis arcu,
Purpuræi radijs Solis amictus adest:
Me quoq; circunda renouato tegmine carnis,
Duc & in æthereas, regna beata, plagas.
Est labor in mundo, soluuntur morte labores:
Dantur & in magno gaudia magna polo.

EX

EX GERMANICO
Christ ist erstanden.



Victor ab omnigenis tormentis surgit IESVS,

Ducit & in patrium leta trophæa polum.
Nos igitur Christi comites letemur ouantes,
Perpetuò nobis hic cupit esse salus.

C S P R E

PRECATIO DE A-
SCENSIONE IN COE-
LUM FILII DEI VI-
VENTIS.




*Q*ui sacrata comitum plaudente corona,
Victor ouās, transis rursus ad astra poli:
Ad dextramq̄, sedes Patris omnipotentis, &
Numine par dio regia scepra tenes: (ipse
Erige tu nostra torpentia lumina cordis,
Semper ut aethereas accumulemus opes.
Saluificum serua verbi caelestis amorem,
Agmen & in nobis collige, Christe, tibi:
Quod

A. Quod te, quodq̄, Patrem celebret, Flatumq̄, sa-
cratum,
Crescat & in mundo cum pietate Fides.
Munera da nobis, fidos largire ministros,
Qui doceant summi vera statuta Patris.
Tolle procul, procul ô nostris à sedibus arce,
Dilacerant reprobo qui tua dicta sono.
Quiq̄ tibi sanctos falso furantur honores,
Ad Phlegethontæas tunde, retūde plagas.
Et ceu Terpāder Lacedæmona pectora flectit,
Ut rabiem ponant barbariemq̄, suam:
Sic aliquis surgat cælesti numine missus,
Schismata componens hæreticosq̄, dolos.
Exere, sancte Deus, placidum caput exere
cælo,
Nostraq̄, diuino flamine corda regas.
Sint procul à nobis ut fæda piacula vitæ,
Floreat & merito nomen honore tuum.
Tu quoq̄, defensor sis noster & ardua Turris,
Cum stygius tentat nos laniare Draco,
Post labyrinthæos tandem tristesq̄, labores,
In tua nos patriæ sceptrâ repone domus.
Hic ubi perpetui peragamus tempora Veris,
Viuausq̄, tuum suauiter ante thronum.

P R E-

PRECATIO AD DE-
VM SPIRITVM
SANCTVM.



*Tu quoq, qui Nati, Patris & de numine mis-
sus*

*Flaminibus recreas credula corda tuis.
Huc ades, afflatu presens illabere nostris
Mentibus, & miseris effice templa Dei.
Isacidumq, genus veluti tua dextera inuit,
Cum suggerent Pharij regna cruenta ducis.
Aut velut è caelo lapsus, flammisq, coruscis
Discipulos Christi fulguris instar adis: (Sic*

Sic etiam nobis his tempestatibus assis:
Ignibus incendens pectora nostra tuis.
Non etenim Christi diuinam cernere lucem
Possumus, auxilium si, Deus alme, negas.
Discute tu nostræ densissima nubila mentis,
Lux redeat, dius cunctaq; lustret amor.
Aufer & à nobis scelerata crimina Vitæ,
Corrige quos lapsos deuius error agit.
Accumula fidei scintillas: suffice vires,
Flammea nosq; tui numinis aura regat.
Scilicet ut puro noscarnus pectore Christum,
Atq; Deo gratum perficiamus opus:
Nam velut in siccis flaccescunt omnia campis,
Largior effusis ni fluat Imber aquis:
Te sine deponunt sic omnem corda vigorem,
Te sine nil quisquam præstat agitq; boni.
Rebus in aduersis cum sors nos aspera vexat,
Ne tua ne nobis subtrahere dona Deus.
Erige sed mæstos, & consolare iacentes,
Nosq; fove, nudas ceu pia mater aues.
Et siquidem Satanas fera fulmina spirat &
ignes,
Quæis queat æterna perdere morte pios:
Quæsumus ut nostris sese tuus implicet ignis
Osibus, huic monstro magne resiste Deus.

Quid

*Quid sumus imbelles? tua ni nos flamma gw
bernet,*

*Tartarëis erimus quàm citò præda lupis.
Aspice quos gemitus plorans Ecclesia fundat,
Aspice quàm miseris fletibus ora riget.
Erret ut in fatuo, crucietur & undiq; Mūdo,
Erret, & expositum nesciat ægra locum.
Respice, sancte Deus, languentem respice Spon-
sam,*

*Et, varia laceram debilitate, foue.
Viuat & in nostris, viuat, per secula terris.
Concita nec tantis corruat illa malis,
Quin etiã gentes tua cœlica congreget aura,
Que rapidi spectant Solis utraq; domum.
Scilicet ut credant unum, fateantur et unū,
Inq; locent solum spemq; fidemq; Deum.
Et nos ornatos tandem septemplice dono
Transfer ad optati gaudia certa poli.*



PREC A

PRECATIO
AD SANCTAM
ET INDIVIDUAM
TRINITATEM.



O vena

O Veneranda Trias, Pater, & cum Flamine,
Fili,

Te fateor verum tempus in omne D E
V M.

Fertilis ex nihilo fabricasti climata Mundi,
Illaq₃ firma tuus servat, alitq₃ favor.

Nos etiam mira per te sumus arte creati,
Omnis & est per te de styge raptus homo.
Sancta Trias, pronus triplex ego numen a-
doro,

Te veneror, grates & tibi gratus ago.
Te peto, care Pater, cari per viscera Nati,
Te quoq₃ per Patris numina, Christe, pre-
cor.

Te per utrunq₃ rogo dulcis Spirator amoris,
Nos rege, nec misera morte perire sinas,
Contege tu nostra contagia noxia culpa,
Da, Deus, in Christi vulnere posse mori.
Horrida flammigeri remoue molimina Ditis,
Et retine stabili pectora nostra fide.
Cordibus infundas lumen, venerabile lumen,
Sol roseus versis namq₃ recedit equis.
Tu Deus es clemens, te tartara dira tremi-
scunt,
Infima te stygia novit abyssus aque.

Aurea

Aurea te summi venerantur sidera cœli,
Cynthia ipse tuas Lunaq; laudat opes,
Te chorus angelicus varijs concentibus ornat,
Teq; Prophetarum concio tota canit.
Te quoq; per terras Ecclesia sancta fatetur,
Atq; tibi vernans gramine plaudit hu-
mus.

Te dominum volucres arguta voce salutant,
Et tibi blanditur mollior aura Deo.
Fallor? an optato gratantur murmure lymphæ:
Te celebrat quicquid circulus Orbis habet.
Fac, ô vere Deus, cœli nos sede potiri,
Ut videant faciem lumina nostra tuam.
Utq; tuas semper referamus pectore laudes,
Linguaq; cum sanctis talia verba sonet.
Maxima cœlesti sit laus & gloria Patri,
Qui nos, qui dia cuncta creavit ope.
Maxima cœlesti sit laus & gloria Nato,
Qui nos à stygijs morte redemit aquis.
Maxima Spiritui sit laus & gloria sancto,
Flamine qui saluat pectora nostra suo.
Quin etiam Triadi sit honos & gloria laudis,
Imperium cuius sine modoq; caret.

D F O R.

FORMVLA PRE
CANDI POENITEN-
TIAM AGENTIS.



*A*lme Parens rerum, peccātem suscipis ultro,
Si modò contrito pectore quarit opem.
Sive sit hic latro, seu diuūm temtor & equi,
Seu patris innocuam fregerit ille gulam.
Sive sit assiduo letatus tempore furtis,
Sive patris sanctum laeserit ille thorum:

Tu tamen his vitæ bona suggeris, atq; salutē,
Si modo te vero cordis amore vocant.

Quin etiam clamas: ad me vos tendite cursū,
Et dolor, & sceleris quos premit atra lues:

Ille ego sum, pressos ultrò qui suscipit omnes,
Certaq; solliciti sum medicina mali.

Latior ergo tui pulso sacra limina templi,
Pande fores, supplex te voco, pande fores.

Hic iaceo scelerum per scrupea saxa rotatus,
Me tædet superi templa videre poli.

Me delicta premunt alti ceu magna Sionis
Culmina, mens sceleris conscia tota tremit.

At tu, sancte Deus, tandem miserere iacentis,
Noxia nec vitæ crimina plecte mea.

Cerne tuum potiùs, tua maxima gaudia, Na-
Cuius in effusa spes mea morte viget. (tū,

Intima tu solùm, contritaq; corda requiris,
Hæc fero, placatus consule dona boni,

Erige quassatam, pie conditor, erige cannam,
Fumantem extingui ne patiare facem.

Nam velut absentes cervus desiderat undas,
Arida defessi cum premit ora sitis:

Sic quoq; viua tuæ bonitatis flumina posco,
Eia mihi demant flumina viua sitim.

Es Deus, errantis tristi nec funere gaudes:
Vis sed in excelsa vivat ut arce poli.
Non tibi Manasses, nō Rex fera bellua factus
Displicuere, tuam dum petiere fidem.
Davidem recipis plangentem crimina vitæ,
Magdalin, afflictum cumq; latrone Petri.
Nec tua Matthæum bonitas immensa fefellit,
Innumeras quamvis fraude pararat opes:
Non igitur linques manuū monumenta tua
Annē parens sobolē deseruisse potest? (rū:
Ergo tuam, venerande Pater, mihi porrige
dextram,
Et rape de stygijs hæc mea membra plagis.
Sisq; mihi felix, recreataq; pectora templum
Redde tuum, sceleris nec meminisse velis.
Sū miser, atq; nocens, sum saucius insuper ar-
Auxilium misero, tu Samarita, feras: (tus,
Obq; ligata mihi, Pater optime, vulnera sana,
Vulnera si sanas, nix velut, albus ero.
Hinc mala securæ fugiens contagia vitæ,
Te memori cuncto tempore mente canam.

ALIA

ALIA EIVSDEM
GENERIS.



O eterne Deus, tedeat nos astra tueri. (lus.
Sic quatit horrificum viscera nostra sce-
Sordida mortiferi peccati scabra fatemur,
Namq, tibi (dolor ô) nausea foeda sumus.
Si vis, iuste Deus, meritis nos perdere poenis,
Quis tua quis viuis nomina sancta colet?
At tua nota satis nobis est gratia: tuq,
Mitia sinceri nomina Patris habes:

D 3

Suppli-

*Supplicijs mulctas et maxima crimina paruis,
Et miseris gratam fers miseratus opem.
Parce Deus nobis igitur, Pater optime, parce,
Et tua susceptas mitiget ira faces.
Nostra tibi laudes fora, compita, templa, sona-
Inq; tuum nostro pectore nomen erit. (būt)*

FORMVLA PRE-
CANDI ACCEDEN-
tis ad sacram Synaxin.



Sim

*S*Im licet indignus (nosti mea pectora, nosti)
Vt subeas tectum, Christe patrone, meū.

*V*tq̄ tuum vero sumam cum sanguine corpus,

Dū mea peccatis undiq̄ vita scatet. (gnū,

*T*u tamen indignū reddes, Deus optime, di-

Cœlica quandoquidē pharmaca solus habes.

*E*rgo per immensum rogo te bonitatis amore,

Perq̄ sacrata tui corporis ossa precor:

*T*u sordes absterge meas, dulcissime Iesu,

Vtilis ad vitam sit cibus iste meam.

*T*u mihi tu fidei cœlestia suffice dona,

Mutuus inq̄ meo pectore crescat amor.

*N*amq̄ anima cibus es, cibus es non corporis,

imple

Non ventres, verūm pectora fida, bonis.

*H*ic dubia rapitur cerebri vertigine sensus:

Qui tibi conatur Fidere, saluus erit.

*P*ercipio verbum, diuinum sentio motum,

Te scio presentem, nescio, Christe, modum,

*T*u cibus es viuus, cœlo qui venit ab alto,

Et miseris vitæ gaudia certa refert.

*Q*ui tua sollicito sequitur vestigia gressu,

Hunc quatiet nullo tempore dira fames.

*I*nq̄ tuum toto qui nomen pectore credit,

Damna grauis nunquam sentiet ille sitis.

D 4 Iungi-

Iungitur ac veluti viuo cum palmite vitis,
Nec facili veniunt dissoluenda modo:
Sic quoq; sic sumens carnemq; tuumq; cruore,
Inseritur lateri, maxime Christe, tuo.
Tristia nec rigida patietur fulmina Mortis,
Sed pia perpetua gaudia lucis aget.
Ergo Deus, Deus ô, dispersum collige, lassô
Daq; cibum, requies sis mihi, sisq; salus.
Te meus, ô Iesu dulcissime, Spiritus optat,
Arida ceu viuas terra reposcit aquas.
Ecquod erit tempus, quo te, pie Christe, vide-
bo?
Ereptum, ô nubes, ferte, referte, Deum.



GRATI-

GRATIARVM AC-
TIO POST COMMU-
NICATIONEM CORPORIS
& sanguinis Iesu Christi, &
pro nouitate vitæ
precatio.



Christe Deus reseras qui nobis limina cæli,
Morte tua mortē dum premis atq; ne-
lāq; meas sancto pauisti sanguine fibras, (cas,
Et partem regni sic facis esse tui.

D S Aspi-

Aspice: quas possum tibi supplex defero grates,
Nam trepidi laudes cordis & oris amas.
Et te per dulces oblatis corporis artus, (cor:
Per mala, perq; crucis vulnera quinq; pre-
Da mihi cœlestem, numen vegetabile, Flatū,
Qui recreet vera languida membra fide.
Scilicet ut grato tibi pectore fidere discam,
Et tua perpetuò iussa verenda sequar.
Teq; colam, te cognoscam, reuerenter adorem,
Cogitet ut pectus nil nisi casta meum.
Ac velut optatum redamat noua sponsa ma-
ritum:

Sic mea mens sancto flagret amore tui.
Tu quoq; me posthac semper defende, gubernas,
Ne Phlegethontæo victus ab hoste cadam.
Inq; ruam peccata miser, flammâq; Parentis
Eliciam, mentem commaculemq; meam,
Et sic diuini contristem Numinis auram:
Me doceas iustas ire redire vias.
Sis mihi protector: fragili me mole solutum,
Ad pia cœlicolūm gaudia, Christe, refer.
Hic dolor & labor est, & habendi vana cupi-
Vera sed in cœli sidere parta quies. (do,
Plurima me capiunt scelerati tædia Mundi:
Ergo meos recreent cœlica dona sinus.

P R E-

PRECATIO
PRO PIO ET FELICI DISCESSV EX HAC
IN COELESTEM VITAM.



GNate Dei, splendor summi lumēq, Parētis,
Iusticie verus Sol & origo boni.
Tristia qui pro me perpeffus tormina vite,
Placasti irati fulmina magna Patris.

Da mi-

Da mihi, quæso, tuos quò voluam mente dolo-
Et recolam tanti semper amoris onus. (res,
Et siquidē varijs premitur mea vita procellis,
Hic neq; perpetuum nouit habere locum,
Sed magis hæc quātò tristes accedit ad annos,
Hoc propius rigida limina Mortis adit.
Ergo mihi præstò tua sit bonitatis imago,
Vt videam vultus tempus in omne tuos.
Cumq; cruenta mihi Mors unguibus immi-
net atris,
Dirigit inq; meum tela trifulca caput,
Et iam iam demto caligant lumina visu,
Auribus atq; vigor, qui fuit antè perit,
Membraq; flaccescunt, & mens mihi concidit
omnis,
Denegat auxiliū quicquid in Orbe viget.
Nete ne, quæso, mihi subtrahere, suffice vires,
Ne metuam stygios, spicula sæua, dolos.
Seu tonet insolitum, seu diras fulminet iras,
Aut scelus, & rabido me petat ore, Satan.
Eripe me tantis, Deus ô ter magne periclis,
Anchora tu fortis sis mihi. sis requies.
Respice languentē, tremebundū respice vermē:
Nec cruciet multis Mors mea membra
modis.
Eia age fac placidè quò claudam lumina vitæ,
O expirantis suscipe, Christe, animā. (Cūq;

Cūq̄ negat certas mea reddere lingua loque-
las :

Cor tamen hanc voluat semper & hiscat opē,
Me tibi commendo, me sum tibi, Christe datus

Morte tua superi limina scando poli. (rus.
Ergo mihi sanctis venias, Deus, obuius vlnis,
Et mea promissis tempora cinge rosis.

Mæsta vale tellus, cœlestis patria salue :

Salue cœlestis patria, terra vale.

PRECATIO MA- NE SVRGENTIS.



Nunc

NVnc iterum Phæbus tollit de gurgite
vultus ,

Orbis & aetherea luce serenat humum.

Nunc iterū somno volucres & nocte sepulta,

Florida incundis vocibus arua replent.

Et sua flexiloquis testantur gaudia linguis,

Autorem celebrant hac ratione Deum.

Ergò Deum celebret mea mens , mea lingua ,
meum cor ,

Si quis & in toto corpore sanguis adest.

Sācte Deus, meritas refero tibi pectore grates,

Nocte quòd hac stygio tutus ab hoste fui.

Quòdq; fruor grata depulsis luce tenebris ,

Meq; tuæ texit cœlitus umbra manus.

Tristia saluifici rogo te per vulnera Christi,

Hac quoq; me sancto Flamine luce regas.

Ne quid agam iustam quod te succendat in
iram , (bet.

Neue loquar quod non lex tua sancta pro-

Heu mihi quàm Satanas ruptis bacchatur ha-
benis ,

Ceu Leo, cui rabiem spesq; famesq; cient.

Magne Deus, validis hūc tu cōstringe catenis,

Ne rabido miseram dente trucidet ouem.

Des mandata tuis, ò mi Deus alme, ministris,


Cœlica quò circum me sua castra locent.

Et me

Et me deducant, lapsu ne fortè vacillet
Pes meus, inq̄, via lubrica planta cadat.
Ac velut arua tegit ros cœlo lapsus ab alto:
Sic tua sic bonitas meq̄, meosq̄, tegat.
Noxia pelle procul, procul hinc procul atq̄, fu-
gato,
Qui mihi mordaci pectore damna struunt.
Tuq̄, meam serues animam cum corpore sano,
Ne me ne cita Mors præpete falce metat.
Quòd si me recto de tramite noxius error
Flexerit, errantis tu miserere Deus.
Tu miserere mei, placido me respice vultu,
Hunc ut agam læto cordis amore diem.
Flecte meam mentem, fragilis quò gaudia vi-
ta
Spernat, & æthereas querat, ametq̄, plagas.
Quin etiam cœtum posthàc defendere pergas,
Qui sacra sincero pectore verba colit.
Annuit ecce meis precibus Deus: ergo tri-
umphans
Expediam cupida mente laboris onus.

PRECA.

PRECATIO CVBI-
TVM EVNTIS.



*S*ancte Deus, cuius nescit sapientia finem,
Te meritò summo laudis honore cano.
Quòd saluo lapsam transegi corpore lucem,
Ne premerent vitam tristia fata meam,
Quòd q̄ reflexisti minitantis spicula Ditis,
Quæ media circum luce volare solent.
Summe Parens, maculas si quas mens lapsa re-
Degeneri facilis tu, precor, esse velis. (fudit,
Et si-

I
Et siquidem suadent fugientia sidera som-
nos,

Opprimit & gratus lumina fessa sopor:
Languida iam dulci tradam mea membra
quieti:

Nescio num potero rursus adire diem.
An non me tristes mors sit mensura sub um-
bras,

Mutua que somni dicitur esse soror.
Ergo velut miles grauibus circumdatur ar-
mis:

Ambiat angelicus sic mea membra cho-
rus.

Suauiter ut recubem, victusq; sopore quiescā,
Ne Satanas aliquid iuris habere queat.

Protege me, miserumq; tuis defende sub alis,
Ceu fouet implumes sedula mater aues.

Meq; salutiferi cingas munimine scuti,
Mi Deus, o anime spesq; salusq; mea.

Tu pater es, soboles tua sum, tua dicar oportet,
Siue mihi detur viuere, siue mori.

Fac tueare precor, manuum monumenta tua-
rum,

Irradiet vultus & tua dextra meos.
Corpus ut hoc vacuum curarum mole recum-

Sed vigilans patrij mēs hiet astra poli. (bat,
E Pelle

Pelle procul simulacra graues referētia luctus,
Nec turbent sensus somnia stulta meos.
Noxia quicūq; mea meditantur tormina vita,
Facta velut fragili vasa retunde luto.
Quin etiam serues hoc tristi tempore cœtum,
Pura salutiferi quem regit aura soni.
Nunc animam, corpusq; meū, sensusq; latentes
Commendo manibus, mi Deus alme, tuis.
Lactens utq; puer matris dormitat in vlnis,
Tuta sit in gremio sic mea vita tuo. (no,
Da mihi quò placido possim requiescere som-
Atq; videre queam rursus, ut antiē, diem.
Sic cras purpureos cum Sol reparauerit ortus,
Corda timore tibi plena fideq; feram.
Ac ubi supremā mihi Mors addixerit horam,
Tu mihi præsidium, turris & esse velis.
Cumq; tubæ tremulo fremitu taratā tara clan-
gent,
Surgite defuncti, surgite, Christus adest,
Dicere iusq; venit, scelerisq; coarguit orbem,
Digna boni capient præmia, digna mali:
Tunc, ô iuste Deus, tua me clementia seruet,
Fac quoq; sim regni portio certa tui.
Nunc, ô Somne, veni, faciles mihi præbuit au-
Fallere qui nescit, Somne vocate veni. (ras
MORS.

M O R S.



*M*ors ego sum trux, cuncta pedis per-
terreo pulsu,
Aggredior, crucio, verbero, preno, premo.
Potifices maeto, summos prosterno mo archas,
Nostraq; pauperibus tela cruenta nocent.
Extirpo iuuenes, mollissima pectora nymphas
Destruo, curuatos contero dente senes.

E 2

Sub

*Sub mea sceptrā traho, Sol quicquid lumine
cernit,
Omnia comminuo, frango, refringo, neco.
Scande rates, ascēde cauas, munimina, turre,
Intima terreni viscera quere globi.
Antipodas pete, Riphæos conscende prui-
nas,
Aut pete Sauromatas, aut Garaman-
tas adi.
Te tamen usq; sequar: viden' ut mea spicula
tendam,
Spicula, quæ mundi cuncta ferire solent:
Ergo tuos, moneo, sceleratos exue mores,
Viue piè, vultus mente notato meos.
O nimium felix, qui sanctas pectore leges
Voluit, ubi nostro cæsus ab ense cadit.*

SAMVEL VVOLFIVS.



ECLOGA

ECLOGA
AMYNTAS SEV
LVCTVS

DE OBITU REPEN-
TINO ET TRISTI, VIR-
GINIS NOBILISSIMAE,
BRIGITTAE COPPRICIAE, spon-
sae nobilitate & dignitate præstantissimi
Viri Dn. ALBERTI KINDLERI
à Zackenstajm, Lusatiae inferio-
ris Cancellarij &c.

CONSCRIPTA

A

M. ABRAHAMO CVM-
MERO ORTRANTIO.



JNter Hamadryadas Leuce pulcerrima nym-
phas

Vmbrosi nemoris Leuce studiosa ferebat
In pratis sese, vernos ut sedula flores
Colligeret sertis: illam venator Amyntas
Ut vidit, primum, totis sic ossibus ignem
Percepit formam egregiam, viridisq; iuuenta
Miratus, niueasq; manus, & eburnea colla,
Et radijs oculos certantes lumine Solis.
Nec mora, se Nympha, flammis confessus a-
cutas,

Adiunxit lateri, placidumq; oravit amorem.
Et Superos omnes in vota extrema vocavit.
Illum etiam verbis urgentem mitibus orsa
Respexit cupido Leuce pulcerrima vultu,
Promisitq; fidem thalami, & solata petentem
est.

Iamq; aderat sperata dies, dilataq; dudum
Tempora tardabat nisi nox nil amplius una,
Iam domus interior regali splendida luxu
Instructa, arquatis pendentia pinguia tignis
Terga bouum ostentabat, & his spolia alta fe-
rarum

Immixta, hospitibus conuiuia grata futuris.
Felices ambo, si, quae fortuna benigna

Sponde-

Spondebat, propria hæc & gaudia firma fuif-
sent.

Ille quidem letus spem corde fouebat amicam,
Sed dum sollicitus festino singula ritu

Apparat, & totus tædis incumbit Amyntas

(O Superi) Leucen inopina lumina morte

Claudere (Dijs notū, fatis an fraude veneni?)

Fama volat, pauidamq; alius mox nuncius
Orbem

Implet, & in certū vertit noua gaudia luctū.

Tum vero attonitus tantæ mærore ruinae

Concidit exanimis, totoq; expalluit ore,

Arrectæq; horrore comæ, & vox faucib. hæsit.

Ter conatus humo se tollere, tertio eodem (bra

Collapsū famuli excipiūt, moribundaq; mē-

Thuricremis reuocāt prunis, stratisq; reponūt.

Hæc rerum facies, ea Amyntam exercuit
ingens

Fortuna immanicare profunere Nymphæ,

Seu Phæbum Eois Aurora reduceret undis,

Sive fretum Titan subiturus luce peracta

Hesperijs premeretur aquis, septem ille diebus

Squallidus in thalamo Cereris sine munere

sedit,

Certus ibi haud aliter nisi morte leuare dolo-

res.

Vt tamen hic gemituq, thorum lacrimisq, ri-
gavit,

Crudeles Divos questus, crudelia fata,
Surrexit tandem, & nemorū consueta petiuit,
Si qua ferant silvæ miseræ solatia menti.

Quæ postquam luctu iam dudum implerat a-
maro,

Nec vis ulla malum poterat lenire nec aura,
Postremo cælum aspectans, solemq, cadentem
Colle super paruo, iucunda ad murmura lym-
phe,

Vt se forte fuga fessus curaq, locârat
Nequicquam ad curvas iactabat talia valles.

Irriguae valles, nuper mea sola voluptas,
Dum Deus & melior sic me fortuna ferebat,
Dum patula vestros indagine cingere montes
Promissæ ob Leuces tædas, leporesq, iuvabat
Venari, & celeres in retia, cogere cervos.
Nunc equidem pharetramq, volens arcumq,
repono.

Ad gelidos fontes, quando pulcerrima LEV-
CE

Occidit, & secum studia abstulit omnia nostra,
Occidit,

Occidit ab, spemq; illa meam, me occidit &
ipsum.

O quis te nostris oculis obiecit, & idem
Infelix virgo, iam fermè ad limina ductam
Ut genialis Hymen lecto sociarit eodem
Eripuit rursus? certè ille iugalia nunquam
Vincula, non ullus flammis expertus Amoris.
Infelix virgo, iam quas noua nupta smara-
gdos,

Quasq; alias gereres gemmas cultusq; pararã,
Et tibi magnanimus decreuerat optima Da-
phnis

Poculi Pannonijs mirè fabricata metallis.
Nunc frustra tot dona iacent, iacet omne se-
pultum

Quicquid incundum fuit antè, & amabile
nobis.

Omnia morte tua tecum intra busta tulisti.
Heu mihi, cur adeo differri gaudia nostra
Sustinui? Cur longa moræ dispendia passus?
Non mihi te saltem licuit carissima, non te
Affari extremam, supremaq; lumina dextra
Comprimere, & fugientem animam veloce
sub umbras

E S Alite

Alite saluificis cælo transmitters verbis.

*Sic igitur solus fatis ego natus iniquis?
Sic fallax fortuna, tuo sic turbine iactor?
Vix dum Ceruinis Glycyre sub Montibus vr-
nam*

*Constitui, & tumultum, ac tumulo lacrymabi-
le carmen :*

*Nunc etiam Leucen, Leucen, ô dura sorores
Numina crudeli rapuistis iure, nec eheu
Innocui capitis tetigit miseratio, nec quòd
Nullus adhuc thalami genialis contigit, usus.
Quid faciam? aut quò nunc adamas pectore
re syluas*

*Respiciam: quò corde plagas, quò retia tendã?
Hoc faciam, mea cara, mihi dulcissima nuper,
Hoc faciam Leuce, primos te Solis ad ortus
Solis ad occasus te pectore suspirabo.*

*Non unquam tua mente mea decedet imago,
Non unquam de corde meo tuus ardor abibit,
Non unquam mea lingua tui dediscet hono-
res,*

*Nominis & grate preconia dulcia fama.
Siue feras inter venabula fortia, siue*

Tela

Tela humeris pharetramq; geram, seu tortile
cornu,

Et pedicas figam capreis nodosaq; lina,
Nodosa e; capreis lina, atq; immitibus apris,
Seu quoscunq; alios fortè instaurare labores
Iuuerit, in memori tua laus versabitur ore.

Te veniente die, te decedente vocabo.
Ante fera sylvas e; aquarum flumina pisces
Relinquent, tumidoq; natabunt equore da-
ma,

Et Phoece in sicco stagnabunt monte marini,
Quam tua de nostris vellatur cura medullis.
Ipsa ha conualles, ipsa haec arbusta sonabunt
Te Leuce formosa, pia o Leuce, optima Leuce,
O utinam Leuce: Leuce omnia respondebunt.

Hoc etiam voueo, vos testes conscia rerum
Numina, ruricolae Satyri, Fauniq; bicornes,
Et quaecunq; iugis habitatis Oreades istis,
Si me letum unquam dilecta videbitis ultra
Flumina, si festos inducere fors an amictus,
Et non lugubri vitam consumere palla
Formosae ob Leuces amissas funere tedas,
Donec ad antiquos proauos eadē horrida lethi
Fata vocent, iaceamq; breui cinis ater in urna.

Aut

Aut Deus hos aliquis miseratus quando la-
bores

Consulat, & rapidos adimat, quibus urimur,
æstus.

Hæc satis ad gelidas ut Amyntas carmi-
na valles

Deflêrat simul ingentes hausere querelas
Innixi Lycidasq; pedo & fidissimus Anxur,
Pastores ambo, modulandis versibus ambo
Insignes, & nunc vicina in valle regebant
Lanigeras & oves, & amantes saxa capellas.
Illi igitur cari miserantes vulnus amici
Ut tristis alio mollirent carmine curas
Cepere alterno dispellere tædia cantu:
Et prior hæc Lycidas, Lycidam sic excipit
Anxur.

LYC: Spirantes zephyri, tuq; ô circumfluus æer,
Et vos ætheræis venientes sedibus aure

Dicite, si Leucen vidistis ad ardua rerum
Hinc transire, quibus socijs? quo cõstitit orbe?

ANX: Aligeri fratres, quorum solium ante
Tonantis

Excubat, atq; animas studiũ comitatur eũtes
Corpore mortali: quæ celsa ad mœnia Leucen
Portastis? quibus illa locis, quibus insidet oris?

LYC:

LYC: Leuce erat egregia facie, & flos ipse iu-
uenta,

Nympharumq; decus, speciosi gratia ruris,
Spes venatorum, spes maxima fortis Amyntæ,
Sed pietate prior forma superabat honores.

ANX: Formosi fontes rara quos arbutus
umbra

Integit, & liquida decurrens riuulus unda,
Formosæ folijs sylue, formosaq; prata
Floribus omnigenis: Leuce formosior illis.

LYC: Non iam per terras Leuce formosa
vagatur

(nes
Amplius, aut curas necquicquam versat ina-
Immemor ipsa sui: cælum pulcerrima, cælū
Incolit, & pedibus sublimia sidera calcat.

ANX: Inter Abre pastoris & inter regia
Iessæ

Nomina laudatas secli illius Heroinas
Versatur Leuce, cui se Pater altus Olympi
Conspiciū prebet manifesta in luce videndū.

LYC: Vt crudelis hyems, Hyacinthi nobile
gramen,

Purpureas violas, atq; omnes enecat herbas:
Sic corpus deforme iacet, sic frigidus illud
Occupat, & gelidos puluis depascitur artus.

ANX:

A N X: Ut nox atra diem cum verterit omnia somnus

*Tecta tenet, placidaq; fruuntur membra quiete:
Sic Leuce thalamum matrisq; cubilia terra
Corpore dum subijt dormit secura laborum.*

LYC: Ut se vere nouo Maiæ sub Atlantidis æstrum

*Alma parens tellus recludit, et optima per se
Gramina reddit humus: sic Leuce excita se
pulchro*

Viuet, & immensos æterna virescet in annos.

*ANX: Ut Sol exoritur rursum sopitaq; membra
Suscitat è somnis: sic olim lata resurget
Corpore clara suo, sic magni lumina Solis*

Luce noua, & cæli Leuce vaga sidera vincet.

*LYC: Nos canimus, casus ut cõsolemur amici,
Nec scimus quid restet adhuc, an vespere
Phæbus*

*Cū iuga demet equis? Quid tū, si crastina vite
Vltima lux fuerit? Mors est meta vna Malorū.*


*ANX: Cantemus, dū fata sinunt, pascamus ut
antè*

*Graminibus pecora, & cythiso florente capellas
Propter aquas: quid tū, si dulces relinquimus an-
Mortis obita? restat melior post fūera vita. (ras*

*Hæc memini Lycidam canere, atq; hæc Anxura fidū:
Cætera rugoso cælat sub cortice quercus.*



om.
iete:
re
m.
is a
se
z se
nos.
bra
et.
ici,
ere
ite
rū.
ut
las
u-
as
dū:



OL 4211

ULB Halle
006 635 628

3




X 220 3707

55.

me





Farbkarte #13

B.I.G.

ATIONES
GIACO
NE CON-
RIPTAE

A
E VVOLFIO
Silesio.



Ludovic

EBERGÆ
AT IOHANNES
RATO,
M. D. LXXVII

*Domicilio
domico B.*